Copia

Nos augustus secundus Dei gratia Rex poloniæ &c.

notum testatumque facimus, Cum nihil magis in votis habeamus, quam ut præsens bellum quod cum S^mo Rege Sueciæ nobis intercedit, in æquam et honestam pacem quantocius converti, durantesque in Livonia armorum motus feliciter componi queant, atque propterea Læto gratoque acceperimus animo quod Regis Christianissimi ad S^mum Sueciæ Regem Dni Legati Extraord. comitis de guiscard Laudabili cura, et opera eò jam deventum sit, ut tractatus, et colloquia pacis instituì debeant, Id circò nos quidquid in nobis est, huic fini Lubenter conferre volentes nulli prorsus Dubitavimus, totam rem istam totumque pacis negotium dexteritati et singulari prudentiæ prædicti domini Legati gallici Comitis de guiscard ulterius committere, Cui proinde vigore harum præsentium plenam absolutamque potestatem cum omni authoritate et mandato ad id necessariis damus et concedimus ut vel accepta a serenissimo Sueciæ Rege simili plenipotentia, totum pacis negotium, secundum puncta Ipsi communicata determinet, vel etiam, si opus fuerit

Cum modo dicto S.mo Rege aut eius sufficienti ad hoc mandato instructo et deputato ministro, pacis tractatum pro nobis nostro q. nomine ineat, et supra dictis conditionibus concludat et signet, omnia quoq. instrumenta quæ in eum finem requiri possint, conficiat atq. expediat eademq. quoq. et commutet, ideo q. in universum oīa ac singula, quæ ad sæpius dictum pacis negotium pertinent, æq. libere ac ample agat atq. faciat, ac si nos ipsi præsentes id faceremus vel facere possemus, quantumvis mandato adhuc specialiori et expressiori, quam quod hisce præsentibus continetur, opus esse visum fuerit; et sicuti præterea in plenipotentiarii nostri arbitrio reliquimus, ut de tribus mensibus pro inducitis stipulandis unum remittere possit, Ita de cætero promittimus et declaramus fide et verbo nostro Regio, nos acceptum et gratum firmum quoque et ratum habituros, quæcunq. per dictum plenipotentiarium nostrum acta, conclusa, signata, extradita, atque commutata fuerint, nos obligientes, ad expediendum ratificationum nostrarum diplomata, in decenti et solemni forma intra q. tempus, prout convenerit

In quorum omnium fidem et robur praesentes manu nra
subscriptas sigillo nro regio communiri jussimus, dabantur
Varsaviæ Die 13. Julii anno 1701.

Augustus Rex

Plus bas

Icy en la place du sceau

Wolffgang Ditric
de Bekling

Je certifie avoir entre mes mains l'original
du plein pouvoir dont cequi est escrit cy dessus est
la copie conforme en tout a l'original
a Varsovie le 20 de Juillet 1701.

Du Heron

Je certifie que l'original dont la copie est
cy dessus est entre les mains de Monsieur le
Marquis du Heron Envoyé Extraordinaire
de France, a Varsovie ce 20 Juillet 1701
de Fiesenhausen